

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Sarephthana.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

demum mihi obedituros. Nunc ex vobis, senes scire velim, quid mihi suadeatis, ut eis respondeam super hac re. S. a) Si hodie populo obsequutus fueris, eique obtemperans humane responderis, habebis eum semper obtemperantem. R. Audio. Nunc exite paulisper foras. b) Introducantur iuvenes, æquales mei, mecumque educati. Quid mihi autores estis iuvenes, ut populo respondeam petenti, ut sibi a gravitate servitutis, qua sint a patre meo oppressi, relaxem aliquid? J. Tu vero respondeas, tuorum membrorum minimum crassius esse, quam tui parentis medium corporis truncum. Quod si ille eos gravi jugo pressit, te pressurum graviore. Si eos scuticis cæcidit, te eos scorpionibus concisurum. R. Probe: vestrum mihi consilium magis probatur, quam senum: itaque id sequar.

SENTENTIA.

Senum propria est prudentia: juvenum temeritas. Stulti stultorum consiliis libenter obsequuntur.

SAREPHTHANA. I Reg. 17.

ARGUMENTVM.

Elias missus a Jova, Sarephthanam mulierculam, perpetuata ejus farina & oleo, a fame tuetur.

Elias,

- a) Principis humanitate & æquitate retinetur populus: iniquitate alienatur, & ad defectionem impellitur.
- b) Qui bonum consilium nactus aliud querit, malum querit.

Elias, Sarephthana mulier.

Heus mulier, quæso te, ut petas paululum aquæ
 in aliquo vasculo, quod mihi bibendum des.
 S. Ego veto perlibenter. *E.* Sed heus, afferto
 tecum frustum panis. S. Ego vero (Jovam
 Deum tuum immortalem testor,) coctum non
 habeo: sed tantum farinæ pusillum in cado, &
 olei pusillum quid in ampulla. Nunc colligo
 paululum ligni, ad id quod habeo, mihi meisque
 liberis parandum: quo sumpto, superest ut fame
 pereamus. *E.* Bono sis animo; i, factum, ut di-
 xisti, Sed mihi prius despiticium inde confectum
 afferto, deinde tibi tuisque liberis factura. Nam
 hoc tibi a Jova Israelitarum Deo confirmo, non
 prius farinæ cadum & olei ampullam exhaustum
 iri, quam Jova ^{a)} terram pluvia irripaverit. S. Fa-
 ciam ut jubes.

SENTENTIA.

*Tenues & famelicos respicit Deus. Tenues
 & famelici multo facilius credunt Deo, quam po-
 tentes & saturi. Primitiæ debentur Deo & suis.
 Deus eorum laborem felicitat, qui Deo primas tri-
 buunt. Feliciter habet, qui Deum habet, quantu-
 tumcunque habet.*

ELIAS. I Reg. 18.

ARGUMENTVM.

Elias cum latuisset tres annos & sex men-
 ses, quo toto spatio non pluerat, inventus
 ab

a) Hoc propterea dicit, quod fames illa orta erat a de-
 fectu pluviz.